DE AVERSUM LOQUENDI RATIONE IN COMOEDIA GRAECA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum Gissensium ordine rite impetrandos

scripsit

OTTO SCHAFFNER
Moenofrancofurtensis.

DARMSTADTIAE MCMXI.
Formis Herbertianis.

DE AVERSUM LOQUENDI RATIONE IN COMOEDIA GRAECA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum Gissensium ordine rite impetrandos

scripsit

OTTO SCHAFFNER
Moenofrancofurtensis.

DARMSTADTIAE MCMXI.
Formis Herbertianis.

Ad philosophorum Gissensium ordinem de hac dissertatione rettulit

Alfredus Koerte
die 14. dec. MCMX.

Matri sacrum.

Priusquam ipsa ad comicorum Graecorum opera tractanda adeam definiendum mihi videtur, quid sit „aversum loqui“. Aversum loqui id est, quod nos Germani — Italico sermone usi — nominamus das „a parte — Sprechen“; aversus is loquitur, qui de altero in scaena praesente, quem ipse videt cuiusque verba audit, vel de verbis eius, ipse verba facit secum, quae ab altero illo, quamquam adest, non audiuntur. Fieri sane posse, ut plures adsint in scaena, qui illum aversum loquentem non audiunt, per se intelligitur. *)

Qua re explicata disserere velim, unde depromptum sit hoc nomen aversum loquendi quaeque huius rei alia nomina, ut ita dicam, invenire potuerim. Omnes qui ad hanc rem spectant loci leguntur in Donati commentario in Terentii fabulas. Exstat nomen, quod titulus affert, ad Eunuchi versum 409, ubi haec adnotat Donatus ad Gnathonis parasiti verba: „Hoc aversus, ne miles audiat“ (scil. loquitur). Quibus ex verbis „aversum“ et „loqui“ eodem modo, quo vox usitata illa „soliloquium“ componitur ex „solum“ et „loqui“, composui vocabulum „aversiloquium“, quo, quamquam nusquam Latinitatis invenitur, tamen mihi liceat in posterum brevitatis causa uti pro „aversum loqui“.

*) Hanc definitionem si stricte observamus, aliqua ex parte hac in dissertatione respicere debemus omnes locos, quibus is, qui secum loquens alterum ad scaenam appropinquantem conspicit, de eo verba facit secum, priusquam ille locutus est; aversiloquium sane tum exstat, cum putamus eo ipso tempore, quo haec verba fiunt, adesse iam in scaena alterum illum appropinquantem. Sed cum magis verisimile videatur hoc tempore eum nondum in scaena adesse, admodum incertum est aversiloquium. Nam si nondum in scaena adest, habemus simile aliquid aversiloquii, non aversiloquium. Accedit quod soliloquium, quod iis verbis antecedit, abeuntis sunt plerumque verba (i. e. vernacula lingua: Abtrittsmonologe) et ea, quae sequuntur, nulla alia de causa adduntur a poeta, nisi ut appropinquantis in scaenam aditum praeparet causamque afferat, qua ut abeat vel ut se condat alter commoveatur. — Prorsus aliter mea quidem sententia res se habet, si progrediens aliquis secum locutus de altero in scaena praesente conspecto verba facit secum; quod si ita est, equidem aversiloquium ea puto, etiamsi alter ille non locutus est.

Aliis autem Donati locis aversiloquium sic describitur: „Hoc lentius apud sese“ (ad Hecyrae v. 112), „Hoc lente ac sub lingua murmurat“ (ad Eunuchi v. 282), „Hoc lentius“ (ad Adelphorum v. 896). „Hoc apud se loquitur“ (ad Adelphorum v. 639), „Hoc pressius dictum est“ (ad Adelphorum v. 884). Praeterea ad Eunuchi v. 254 legimus: „Mire Terentius .... interloquia quaedam adhibet“. Sed satis certe dici non potest per se interloquium significare aversiloquium, quamquam hoc loco aversus loquitur Parmenon, cum fieri possit, ut interloquium nominentur omnino verba quaelibet sermoni alterius inserta. — Ceterum simile aliquid invenitur in Eugraphii commentario ad Andriae v. 264: „Optimo loco sese interponit Mysis.“ — Praeterea duobus Donati locis in aversiloquio describendo spectatores respiciuntur: „Hoc dicit, non ut Simo, sed ut spectator audiat“ (ad Andriae v. 498) et „Hoc propter spectatorem dicitur, ut gestorum meminerit“ (ad Hecyrae v. 540). Ad quem locum equidem adnotare velim his verbis per se non dici spectatores appellari, vel, ut accuratius dicam, verba illa fieri ad spectatores ipsos, neque enim intelligi potest, cur, si hoc dicere in animo habuerit, Donatus non dixerit: ad spectatores. Sed hac de re postea mihi facienda erunt verba.

Aversiloquii definitione data nominibusque allatis quae in aversiloquio tractando respicienda sint, paucis praefari velim. Primum ipsum loquentem inspicere debemus, quo fiat, ut secum loquatur, quo statu sit animi, affectusne sit timore, spe, laetitia, admiratione, taedio an deliberatione occupatus. Hoc aversiloquii genus nominare velim „homericum soliloquium“ verba Friderici Leonis imitatus, quae persaepe nobis occurrunt in egregio eius libello, quem inscripsit „Der Monolog im Drama“,*) qui summi mihi fuit et momenti et adiumenti; cuius nominis audacia ea re lenitur, quod duo tantummodo signa homerici soliloquii etiam in hoc aversiloquio inveniuntur: affectus et deliberatio. Ubicumque haec signa desunt, solius effectus comici causa aversiloquium adhibetur a poeta, nisi forte aversiloquii verbis mores ipsius loquentis depingere vult, quales nullo alio loco descriptos invenimus. Deinde inquirendum est, nonne aliquo modo verisimile fiat verba aversi loquentis ab altero vel ab alteris non audiri; nam quamquam re vera fieri non potest, ut verba illa non ab iis audiantur, qui adsunt in scaena, cum omnes specta-

*) (Berlin, Weidmann 1908).

tores, qui multo longius absunt, ea percipiant, tamen poeta speciem veritatis ut ita dicam servare vel — prout vis — simulare potest, si eos, qui alterum aversum loquentem non audiunt, vel motu animi vel alio modo occupatos fingit, vel aliud quidvis adhibet, quo species illa servatur. Tum quod ad ipsum poetam attinet, videndum est, utrum e verbis aversi loquentis aliquid appareat, quod alicuius sit momenti ad fabulae actionem promovendam, an ipsum aversum loquentem in scaenis, ubi alterius soliloquium vel diverbium alterorum auscultatur, audire eluceat aliquid, quod nondum scit quodque hac ipsa de causa magni fit momenti.

Disserendo quid sit respiciendum aversiloquium tractanti, dispositionem vel potius rationem huius disputationis implicite dedi; ipsam autem ad dispositionem huius opusculi spectant ea, quae nunc dicam. Duorum tantum comicorum praecipue fabulae meum in tractatum cadunt, reliquorum fragmenta parvi sunt momenti, ita ut plane fere neglegi possint; Ordinem historicum secutus primum Aristophanem, deinde Menandrum tractare debebam fragmentaque cetera suo quidque loco transigere. Sed cum exordium ceperim a comoedia latina, quae novam Graecorum sequitur, liceat mihi ordinem hunc historicum invertere; quod facile sine detrimento fieri potest, propterea quod catenae illi comicorum Atticorum anuli medii plane fere desunt primo et ultimo tantum servatis. Qua re fit, ut nihil differat, utrum prius absolvam. Per se autem fiet, ut Menandri fabulis tractatis perpaucos illos, qui mihi sunt notandi, locos mediae novaeque et Aristophane tractato antiquae fragmenta cetera afferam.

Sed priusquam ad comoediam accedam, requirendum videtur, nonne inveniatur in tragoedia aversiloquium; quod summi esset momenti, cum facile dicat quispiam ex illo — si invenitur re vera — tragoediae aversiloquio exortum esse comoediae aversiloquium. Inspexi Sophoclis tragoedias: nullum inveni uno dubio loco excepto, quod aliqua ex parte Leonis libello firmari atque comprobari videtur. Nam hic quoque praeter locum Electrae — sunt versus 766—773, de quibus ego quoque dubitavi — nihil ut ita dicam affert, quod meam ad dissertationem spectat. Quodsi dicit pagina 11 versus Philoctetis describens i. a v. 1348 u. ad v. 1362: „... wo Philoktet, in die Enge getrieben und daran verzweifelnd, seinen festen Entschluß gegen den Ansturm seines Freundes und Wohltäters zu halten, geradezu beiseite redet und überlegt, aber mit dem ganzen Affekt der Situation „.. ex uno

illo vocabulo „geradezu“ eum haec aversiloquia non putare apparet. Etiam alium quem affert et expressis verbis „a parte“ dictum appellat locum — fragmentum est 690 — nullius fere momenti esse puto. Concedo summo iure Leonem dicere haec verba esse merum soliloquium inque servatis Sophoclis fabulis nullum exstare locum, qui tantopere signa homerici soliloquii praebeat, at hic quoque ut in loco Philoctetis ii, qui adsunt, verba illa audiunt, neque enim videre possum, cur alteri ea verba deliberantis audire non debeant, cum ipse statim iis secretum illud, de quo secum loquitur, proditurus sit. Sed revertar ad dubium illum Electrae locum, quem supra tetigi: Clytaemestra relatione paedagogi audita secum, ut mihi quoque videtur, affectibus inter se pugnantibus capta loquitur v. 766: Ὦ Ζεῦ, τί ταῦτα; πότερον εὐτυχῆ λέγω | ἢ δεινὰ μέν, κέρδη δέ; λυπηρῶς δ᾽ἔχει, | εἰ τοῖς ἐμαυτῆς τὸν βίον σώζω κακοῖς. Paedagogus eam interrogat: τί δ᾽ὧδ᾽ ἀθυμεῖς, ὦ γύναι, τῷ νῦν λόγῳ; cui illa non respondet, sed pergit secum loqui: δεινὸν τὸ τίκτειν ἐστίν, οὐδὲ γὰρ κακῶς | πασχόντι μῖσος ὧν τέκῃ προσγίγνεται. Senex ea verba audit, sed non recte intelligit putatque μάτην ἄρ᾽ ἡμεῖς, ὡς ἔοικεν, ἥκομεν. Tum demum respondet ei: οὔτοι μάτην γε. — Quo loco usque ad v. 773 eam secum loqui per se intelligitur, sed quaeritur aversane, vel potius itane, ut non audiant alteri; verba postrema Clytaemestrae paedagogum audire iam dixi, quod etiam Leo concedit, sed de primis illis verbis (v. 766—768) quid dicam haud satis certe scio. Nam si paedagogi verba τῷ νῦν λόγῳ sic intelligenda sunt „ut tuis ex verbis apparet“ — quae interpretatio praecipue voce νῦν firmatur — minime dubia res est, sin autem ea verba vertenda sunt „hac mea relatione“, utrumque ex vocabulo ὧδ᾽ colligi potest et paedagogum interrogare verbis reginae auditis et non auditis, sed ex habitu gestuque quo sit statu animi perspicientem. Qua de re ut iam dixi equidem nihil certi iudicare velim, quamquam fortasse ultima illa interpretatio magis mihi placet; scholiasta sane reginae verba ab eis, qui in scaena sunt, audiri arbitratur, adnotat enim ad v. 766: ὡς μὲν γυνὴ κεκίνηται ἐπὶ τῷ πάθει, πρὸς δὲ τὸν κίνδυνον ἀποβλέπουσα ἥδεται, διὰ δὲ τὸν χορὸν ἀλγεῖν ὑποκρίνεται.

Nunc ad Euripidem versi in Hecuba habemus locum, quem summo iure Leo (p. 34) permirum nominat; sunt versus 736—751: Agamemnon prodit Hecubamque iubet filiam sepelire; cui Hecuba non respondet, sed secum deliberat, quid faciat δύστην᾽, ἐμαυτὴν γὰρ λέγω λέγουσα σέ | Ἑκάβη τί δράσω; ipsa se appellans.

Quae deliberatio ter ab Agamemnone interrumpitur, sed omnibus ex eius verbis luce clarius apparet eum verba Hecubae non audire. Sed audiamus ipsum Leonem: „Hier ist eine vollkommene, szenisch stark bezeichnete, durch 4 Phasen bis zum Entschluß und dessen Ausführung geleitete Überlegung. Obgleich durchaus Monolog, ist sie doch stichomythisch in ihre Abschnitte zerlegt, das Auffallende des Selbstgesprächs wird durch Agamemnons Zwischenreden besonders verdeutlicht.“ Quibus verbis mihi, cui aversiloquium tractandum est, addendum hoc videtur: Quacumque a parte hos versus inspicis, concedendum videtur re vera aversiloquium exstare hoc loco. Id quod satis mirum videtur, praesertim cum in nulla alia tragoedia simile quicquam inveniatur, quoad ego video, et vix dici possit, unde et quomodo hoc aversiloquium adoleverit; nam de illo loco Sophoclis Electrae, optime mihi Leo iudicare videtur: „Wie eine entfernte Vorbildung [hierzu] erscheinen Klytämestras Worte mit den Zwischenreden des Boten.“ Atque hoc idem Leo putat, qui pro certo habet prima verba Clytaemestrae non audiri a paedagogo, quo magis eum hoc Hecubae loco mirari putas, qui Leonis sententiam non probet? Cuius Hecubae loci novitas hac re augetur, quod non desunt, qui Electram fabulam priorem esse Hecuba negent. — Praeter hos vel potius praeter hunc locum nullum invenitur aversiloquium in tragoedia, neque quisquam unum hunc locum exemplum afferens potest affirmare comoediae aversiloquium natum esse ex tragoedia.

Sed aliud in tragoedia invenitur duobus locis, quod persaepe adhibetur a comicis poetis: Is, qui in scaena adest — vel ii, qui adsunt — alterum advenientem conspiciens regreditur, non ut scaenam relinquat, sed ut ex scaena extrema alterum auscultet. Quod secundum Leonem habemus et in Aeschyli Choëphororum v. 20 sqq. et in Euripidis Electrae v. 107 sqq. ubi — in utroque loco — Orestes ad Pyladem, non apud se, quod denotandum est, dicit: σταθῶμεν ἐκποδών, ὡς ἂν σαφῶς μάθω | γυναικῶν ἥτις ἥδε προστροπή et (apud Euripidem) ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τήνδε προσπολῶν τινα | πηγαῖον ἄχθος ἐν κεκαρμένῃ κάρᾳ | φέρουσαν· ἑζώμεσθα κἀκπυθώμεθα | δούλης γυναικός, ἤν τι δεξώμεσθ' ἔπος, | ἐφ' οἷσι, Πυλάδη, τήνδ' ἀφίγμεθα χθόνα.

Sed nusquam in tragoedia is, qui in scaenam extremam recessit, inde aversus interloquia inserit soliloquio vel diverbio alterorum, quod in scaena habetur. Tantummodo concedendum est novisse etiam poetas tragicos hanc actionis porro ducendae

facultatem et ea usos esse interdum, comici autem eam — fortasse imitati tragoediam — saepissime et adhibuerunt et excoluerunt aversiloquiis.

Sed iamiam adeamus ad Menandri comoedias primumque agamus de Periciromenes fragmentis editionem secuti, quam curavit Alfredus Koerte. Cuius fabulae in versu 61 Doris Glycerae serva ad heram non prodeuntem — ut saepe fit in nova comoedia — haec verba facit: ἐγὼ προσεστῶσ᾽ ὄψομαι. κεκτημένη egressa vel egrediens ex aedibus Polemonis. Tum Sosias Polemonis servus, qui post v. 51 in scaenam prodiit, eam videns bellamque ancillam admirans aversus secum loquitur (v. 62) ἡ Δωρίς. οἷα γέγονεν, ὡς δ᾽ ἐρρωμένη· | et deinde statim facetias adserit: ζῶσιν τρόπον τίν᾽, ὡς ἐμοὶ καταφαίνεται, | αὗται . πορεύσομαι δέ. Doris autem eum neque videt neque audit. Prima illa verba ut iam dixi admirantis sunt exclamatio; habemus igitur hoc loco soliloquium homericum quasi, nam re vera admiratione affici Sosiam equidem putaverim visu Doridis, quae bene adulta est (ὡς δ᾽ἐρρωμένη) ex eo tempore, quo eam non vidit domo relicta Polemonis*); verba autem, quae sequuntur, solius ioci causa addita esse iam supra implicite dixi.

Deinde aversiloquia invenimus in v. 178 sqq. Inde a v. 170 secum loquitur Doris,**) cuius ultima verba .... τὸν δεσπότην

*) At A. Koerte in praefatione (p. XXXIII.) putat v. 52 Davum quasi notum induci spectatoribus: ὁ σόβαρος ἡμῖν ἀρτίως καὶ πολεμικός, | ὁ τὰς γυναῖκας οὐκ ἐῶν ἔχειν τρίχας, | κλάει κατακλινείς· vocabula igitur ἀρτίως ἡμῖν sic, quoad puto, interpretatur: quem nos modo in scaena vidimus temerarium. Quam si interpretationem sequimur, non soliloquium homericum habemus, sed comice miratur nugasque agit Sosias, cum antea in scaena vel in aedibus eam viderit. At necessario ex his verbis, quamquam potest concludi, concludendum non est Sosiam iam antea in scaena adfuisse Doridemque vidisse, cum et sic possit intelligi locus: Is, qui nobis i. e. mihi conservisque modo in villa tam temerarius visus est — Glyceram consecratus est — nunc prostratus lamentatur. Hoc sane equidem non diudicare velim, utrum in villa an in bello antea fuerit Sosias, quamquam hoc mihi magis quadrare videtur.

**) Sequor Wilamowitzium. Koerte hos versus ostiario dedit, quem dubitanter „Donax“ nominavit propter notam personae satis obscuram versui 182 adscriptam. Sed iam Christianus Jensen papyro denuo collata (Mus. Rhen. LXV. 572.) eam potius ϲωϲ legendam esse cognovit. At Jensenium v. 171 non recte Davo tribuere mihi persuasum est (cf. v. 292 sqq.)

ἂν ἐξ ἀγροῦ θᾶττον πάλιν | ἔλθῃ, ταραχὴν οἵαν ποήσει παραφανείς. spectant ad Polemonem. Tum Sosias proruit ex Polemonis aedibus, qui Glycera intus frustra quaesita familiam graviter — iam egrediens — increpat summa ira accensus: ὑμεῖς δ' ἀφήκαθ' ἱερόσυλα θηρία, κτέ. Tum Doris aversa secum deliberat quasi: ἄνθρωπος ὀργιζόμενος. ὑπαποστήσομαι.*) Pergit Sosias: ᾗ δ' οἴχεθ' ὡς τὸν γείτον' εὐθύς, δηλαδή | τὸν μοιχόν, οἰμώζειν φράσασ' ἡμῖν μακρά | καὶ μέγαλα. Tum Doris aversa secum dicit: μάντιν ὁ στρατιώτης λήψεται | τοῦτον· ἐπιτυγχάνει τι. Sosias autem eam neque videns neque audiens pergit secum loqui: κόψω τὴν θύραν. Illis verbis Doris alludit ad illud Sosiae οἰμώζειν φράσασ' ἡμῖν μακρὰ | καὶ μέγαλα: Sosiam, cum recte praedixerit Glyceram indignatam ad vicinos transisse, Polemon vatem apud se recipiet. Nulla alia de causa hoc Doridis aversiloquium Sosiae verbis insertum esse nisi propter effectum comicum luce clarius est. Non sine arte autem aversiloquio usus est utroque loco (62 et 178 sqq.) poeta optimeque servavit speciem, qua verisimile fit re vera ab alteris non audiri verba aversi loquentis. Primo enim loco Doris cum hera modo locuta nihil in animo habet, nisi ut ea, quae illa iussit, exsequatur, ita ut eam verba Sosiae non audire aliqua ex parte verisimile videatur, et altero loco Sosias ita furore est inflammatus, ut plenus irae nihil videat neve audiat. Denique quod ad comicum effectum spectat, haud inepte hic adhibuisse poetam aversiloquium nemo negarit.

Tum nonnulla aversiloquia exstant in scaena illa, quam graeco vocabulo ἀναγνωρισμόν nominamus (sunt versus 338 sqq.): Crepundia Glycerae Pataecus agnoscit ornamenta uxoris suae et suam esse filiam Glyceram quaerendo sibi persuadet. Colloquentibus autem eis astat auscultans Moschio; hunc totam fere per scaenam aversum loqui primus intellexit Joannes de Arnim, quem secutus est in editione sua Alfredus Koerte. Hic scaenam ipsam et quae antecedunt in lacuna illa magna, quae hiat post v. 300, sic interpretatur: „Glycera Myrrhinae aperuit se Moschionis esse sororem, tum matronae ius iurandum dedit se nemini prodituram esse, quomodo Moschio in Myrrhinae domum venerit. Jam mater, ut filium averteret ab incestu, finxisse videtur ipsius esse eam filiam olim expositam. Scit enim, si recte supplevimus versum 344, Moschio postea Glyceram esse sororem, nescit

*) Sic iam versum restituit Koerte, in priore parte Sudhausium secutus.

se non esse Myrrhinae filium." Quam interpretationem ego quoque, quamquam neque mihi neque editori ipsi plane certa videtur, tamen sequi velim, cum ipse aliam invenire non potuerim meliorem, quam in eius loco ponam.*) Aversus igitur in hac scaena loquitur Moschio extrema e scaena auscultans diverbium Pataeci Glyceraeque, sed non comitante Davo, quod de Arnim putat; nam quid est in hac scaena negotii Davo? Apud se etiam versum 353 totum loqui iuvenem puto, cum sic haec verba vertere velim (ἐπάναγε σαυτὸν μικρόν) „Paulisper tantum retine te, quin accedas," ita ut ipse se impatientem progredique cupientem, ut maneat, hortetur, exemplum afferens versum Samiae 145: ἐκ τοῦ μέσου ἄναγε σεαυτόν. Secum igitur loquitur aversus Moschio et poetae arte fit, ut minime miremur eum secum loqui. Summa enim exspectatione intentus summoque animi motu affectus, cum intellegat se esse ἐν καιρῷ τῆς τύχης, in totius vitae discrimine, ea, quae cogitat de iis rebus, quas audit, statim verbis exprimit. Praeterea species etiam illa veritatis servatur, nam reliqui primo sunt occupati signis inspiciendis, deinde ipsi sunt exspectatione erecti — nam Glyceram quoque paulatim sentire se aliquid de parentibus suis comperturam esse vel potius divinare se filiam esse Pataeci manifestum est. Denique hac in scaena interloquia adhibere poetam ad fabulae actionem promovendam primo visu perspicitur itemque e verbis aversi loquentis apparet, quae ei adhuc nota fuerint, quae non; hoc sane non ex aversiloquiis manifestum fit, quid fortasse interim i. e. extra scaenam cognoverit Moschio de origine vel Glycerae vel ipsius; sed mittamus hoc, cum satis vaga sit haec scrutatio praesertim propter lacunam illam antecedentem. — Scaena est ut iam dixi auscultatoris et, quoad video, una atque sola novae comoediae, quae nobis graece servata est exculta atque ut ita dicam adulta, et hac ipsa in scaena, quod summi est momenti aversiloquium tractanti, invenimus et soliloquium homericum et speciem veritatis servatam. Quod si respicimus, haec scaena, quamquam per se „et stichomythia a comoedia ceteroquin aliena et elato sermone et arte metrica proxime accedit ad stilum tragicum" — ut Alfredi Koerte verbis utar —,

*) Contra illam sententiam hoc praecipue afferri potest: Si re vera Myrrhina filio dixit Glyceram eius sororem esse, nonne multo magis verisimile videtur Moschionem versus 338 sqq. audientem statim suspicari „verba dedisse" matrem, ut a Glycerae amore deterreretur? At hunc scrupulum iam evellerunt seminarii Berolinensis sodales, qui perspexerunt Moschionem v. 344 sqq. modo egredientem ex aedibus loqui.

tamen, quod ad aversiloquium attinet, vere comica nobis videtur. — Ceterum ne quid omittam, singula aversiloquia afferre velim: sunt certe Moschionis versus 344—348,*) 353 sq., 357, 362 sq., 394 versusque 396, post quem Moschio prodire et a Glycera conspici videtur. De aliis (384, 388) licet dubitare.

Praeter hos locos aversiloquium certum in hac fabula invenire non potui, in omnibus autem quae enumeravi aversiloquiis speciem illam veritatis habemus bene servatam neque, quod maxime notandum mihi quidem videtur, umquam in Pericironene is, qui aversus loquitur, antea — in eadem scilicet scaena — cum alteris collocutus est.

Jam transeamus ad Epitrepontes. In hac fabula primum aversiloquium exstat in v. 19 sq.: post oratiunculam, quam Syriscus habet ad Smicrinem, Davus timore captus propter adversarii facultatem dicendi aversus secum loquitur: μετρίῳ γε συμπέπληγμαι ῥήτορι (haud contemnendo cum oratore rem habeo) statimque eum paenitet puerum dedisse Syrisco: τί γὰρ ἐγὼ μετεδίδουν; Soliloquium homericum nominari potest hoc aversiloquium, cuius simillimum exstat in v. 148 sq., ubi Davus ipse se detestatur: τί γὰρ ἐγὼ | ἐπέτρεψα τούτῳ; — At fortasse fieri potest, ut Smicrines et Syriscus haec verba audiant, sed silentio praetereant. Sed hoc vix credibile mihi videtur, nam si audiret haec verba victi adversarii, sine dubio aliquid triumphans diceret Syriscus ad eius iram augendam. Aversum igitur hoc loco Davum loqui persuasum habeo.

Eiusdem in scaenae fine Syriscus ad „uxorem“ (ut van Leeuwen scribit) haec verba facit (v. 159) .... σὺ δὲ ταυτὶ γύναι | λαβοῦσα πρὸς τὸν τρόφιμον ἐνθάδ' εἴσφερε. | Χαιρέστρατον νῦν γὰρ μενοῦμεν ἐνθάδε, | εἰς αὔριον δ' ἐπ' ἔργον ἐξορμήσομεν | τὴν ἀποφορὰν ἀποδόντες. ἀλλὰ ταῦτά μοι | πρῶτ' ἀπαρίθμησαι καθ' ἕν. ἔχεις κοιτίδα τινά; | βάλλ' εἰς τὸ προκόλπιον, et sinum tendit mulier, ut signa recipiat. Tum (v. 165) Onesimus prodit eosque non adspiciens secum loquitur leviter iratus impatiensque ob coqui segnitiem v. 165: μάγειρον βραδύτερον | οὐδεὶς ἑόρακε, τηνικαῦτ' ἐχθὲς πάλαι | ἔπινον, qua in re summi est momenti eum secum, sed non aversum verba facere, cum reliquos non videat; Syriscus autem ea non audiens singula signa, dum promit, quasi describit. Tum denique (v. 170) eis adspectis miratus se ipse interrogat Onesimus, aversus secum loquens: τί ταῦθ'; Syriscus autem, ut

*) Sodales Berolinenses sane si sequimur, non aversiloquium hoc loco exstat, sed soliloquium, quod ab alteris non auditur.

antea, verba eius non audit pergitque signa describere, donec Onesimus propius aggressus eum alloquitur (v. 174): φέρε δεῖξον. Locum sic describendo simul implicite dixi hoc Onesimi aversiloquium esse soliloquium homericum — mirantis est quaestio — speciemque veritatis ea re servari, quod Syriscus et mulier signa contemplando adeo videntur occupati, ut nihil aliud videant vel audiant; praeterea non supervacaneum puto ostendere Onesimum antea non cum alteris locutum esse.

Triginta versibus post dubium aversiloquium exstat in v. 199 sqq. Syriscus primum ad Onesimum verba facit, deinde secum loquitur: οὐδὲ νῦν κακῶς ἀπήλλαχα | πάντων δ'ἀμελήσανθ', ὡς ἔοικεν, δεῖ δίκας | μελετᾶν, διὰ τούτου πάντα νυνὶ σῴζεται. Secum hoc loco eum loqui equidem persuasum habeo, sed dubito aversusne; facile enim fieri potest, ut Onesimus, dum haec verba fiunt, iam introierit aedes Charisii. Soliloquium igitur habemus certum, satis incertum aversiloquium, ita ut in hac quaestione nihil possit valere hic locus.

Certum autem aversiloquium exstare videtur in scaena illa satis male servata (v. 431 sqq.), cui novam lucem intulit Jensenius. Abrotonon fidicina infantem, cuius matrem adhuc non indagavit, clamantem in manibus gestans ex aedibus Charisii prodit verba secum vel ad alterum quempiam in scaenam non progredientem faciens: [τὸ παιδίον] ἔξειμ' ἔχουσα· κλαυμυρίζεται τάλαν | πάλαι γάρ· οὐκ οἶδ' ὅ τι κακὸν πέπονθέ μοι. supervenit autem Pamphilae calamitatem lamentanti*) (quod eam iam antea in versibus deperditis fecisse maxime verisimile est): τίς ἂν θεῶν τάλαιναν ἐλεήσειέ με. Quam loquentem audit fidicina et agnoscit virginem illam, quam matrem infantis esse suspicatur, tum laeta admiratione capta secum aversa loquitur v. 435: ὦ φίλτατοι θεοί .... et statuit eam adire:**) πορεύσομαι statimque eam appellat: μικρόν, γύναι, πρόσμεινον .... Quae verba — allocutione excepta — Pamphila surda quasi tristitia et maerore non audit — species igitur veritatis servatur simulque soliloquium homericum habemus hoc loco eiusque signa motum animi et deliberationem, nam re vera magna laetitia Abrotonon afficitur virgine adspecta, quam adhuc frustra quaesivit. Alloquenti autem fidicinae respondet Phamphila: ἐμὲ καλεῖς; et in versu sequenti nondum suppleto με

*) Re vera Pamphilam non Sophronam in scaena versari sagaciter demonstravit Jensenius Mus. Rhen. LXV. p. 635 sq.

**) Reliqua ne nunc quidem certe suppleta sunt; πορεύσομαι Jensenius Phamphilae tribuere mavult.

γινώσκεις, γύναι; dubitat enim, num fidicina re vera cum ipsa loqui velit. Tum Abrotonon dicit: αὐτή 'στι, νῦν ἔγνωκα· χαῖρε, φιλτάτη. Verba illa prima αὐτή 'στι νῦν ἔγνωκα sine dubio secum aversa loquitur meretrix: „Ipsa est, iam eam agnovi“, tum ad Pamphilam conversa dicit: χαῖρε, φιλτάτη. Continuat igitur verbis αὐτή 'στι· νῦν ἔγνωκα aversiloquium, quod antea abrupit mulierem alloquendo: μικρόν, γύναι, πρόσμεινον. Animadvertas, quaeso, huius aversiloquii partem alteram dialogo iam instaurato intercedere.

Quattuor igitur in Epitrepontibus invenimus certa aversiloquia; (sunt v. v. 19 sq., 148 sq., 170, 435 sqq.). Quorum tertium — versum dico 170 — simillimum est aversiloquiorum Periciromenes: habemus et soliloquium homericum et speciem veritatis bene servatam. In reliquis quoque signa soliloquii homerici invenimus, sed notandum est Davum (v. 19 sq. et v. 148 sq.), et Abrotonon (v. 439) antea iam cum alteris locutum esse et speciem veritatis minus servari, cum illi et eos videant et antea loquentes audiverint neque aliis rebus occupati sint. Hac re igitur aversiloquia Periciromenes aversiloquiis Epitrepontum praestant, quod species veritatis melius servatur.

Jam aggredienda sunt Samiae quam vocare solent editores fragmenta. Cuius in scaena illa, qua Chrysidem concubinam domo expellit Demeas suspicatus filium eam peperisse Moschioni, nonnulla exstant aversiloquia: Versu 155 eam iubet: (ἄπιθι) εἰς κόρακας ἤδη. Chrysisque lamentatur: δύσμορος scil. ἐγώ. Verba, quae sequuntur: ναὶ δύσμορος. | ἐλεεινὸν ἀμέλει τὸ δάκρυον, ut Alfredus Koerte vult, apud se aversus loquitur Demeas, deinde rursus ad mulierem versus minitatur: παύσω σ'ἐγώ κτέ., ita ut sic intellegatur locus: Senex, qui modo increpuit Chrysidem, statim re vera misericordia capitur coepitque mitescere: „certe misera illa est miserabilesque eius lacrimae“; sed statim hanc mollitiem animi opprimere conatur denuo eam inclamans. Quam mollitiem haud male quadrare ad Demeae naturam, qualem novimus ex soliloquio, quod habet i. a v. 110 u. ad v. 141 — praecipue huc spectant v. v. 135 et 141 — vix potest negari; praeterea hac duplici commutatione animi valde augetur vis comica loci. At fortasse aliter interpretanda sunt haec verba: Chrysidis illud δύσμορος (scil. ἐγώ) ironice imitatur senex: ναὶ δύσμορος (scil. ἐγώ) et in se convertit: Heu me miserum, qui abs te tam male sim deceptus! Etiam verba, quae sequuntur, ironice dicta sunt — vocabulo enim ἀμέλει saepius

in hunc sensum utuntur comoediae scriptores —: „miserandae certe quidem hae lacrimae", quod sic in vernaculam linguam verti potest: „Was sind das für Krokodilstränen". Nonne et hac interpretatione satis magna vis comica efficitur? Si sic intelligimus haec verba, Chrysis cur ea verba audire non debeat, equidem videre non possum. Itaque, cum utraque interpretatio aliquod habeat, quod arridet, equidem certi quicquam dicere nolim: dubium mihi videtur aversiloquium. — Paucis versibus post rursus Chrysidi imperat Demeas (v. 168): ἐκ τῆς οἰκίας | ἄπιθι, tum illa aversa secum haec verba facit: τὸ πρᾶγμ' ὀργή τίς ἐστιν· προσιτέον, statimque rursus ad senem se convertit: βέλτισθ' ὅρα — Soliloquium quasi homericum habemus hoc loco: secum reputans, qualis sit status rerum i. e. quo animo sit Demeas, ad consilium pervenit mulier alia sibi ratione agendum esse cum eo atque antea precibusque mitigandum esse senem, quod consilium statim perficit eum alloquens: βέλτισθ' ὅρα.

Aliud aversiloquium statim sequitur. Chrysidem secum colloqui vetat Demeas v. 169: τί μοι διαλέγει; eaque ei respondet: μὴ δάκνῃς, quod sic intellegi velim: ne tam durus sis; et senex quamquam eam loqui vetuit, tamen cum ea colloquitur, ita ut Chrysis spe affecta aversa secum loquatur: οὔπω δάκνει et rursus precibus eum aggredi conatur ὅμως ... sed statim Demeas mulierem inclamat: κατάξω τὴν κεφαλὴν ἄνθρωπέ σου, | ἄν μοι διαλέγῃ. Tum Chrysis intellegens se nihil impetrare posse obtemperat: ... εἰσέρχομ' ἤδη. Etiam hoc aversiloquium soliloquium homericum potest nominari.

Omnibus igitur in tribus aversiloquiis huius scaenae — si dubium illum aversiloquium versus 156 pro certo habemus — invenimus signa illa homerici soliloquii vel deliberationem moti animi. Nonnulla rursus aversiloquia habemus in scaena, qua manus inter se conserunt Demeas et Niceratus. Niceratus persequitur Chrysidem infantem ei erepturus, Demeas in suas aedes eam confugere iubet v. 224: Χρύσι, δεῦρο . . εἴσω τρέχε; deinde ille mulieri instans clamat: ποῖ σύ, ποῖ φεύγεις; tum Demeas secum loquitur aversus: Ἄπολλον μονομαχήσω τήμερον, | ὡς ἔοικ' ἐγώ, et statim ad Niceratum versus: τί βούλει, τίνα διώκεις; Hoc loco aversiloquium exstare persuasum habeo, sed nescio, captusne sit timore senex: „Mehercle, timeo, ne pugnandum sit mihi hodie", an facetias dicat: „Pugnam obibo atque gladiaturam", quod vernacula lingua haec fere significat: „Da werde ich mich wohl heute noch als Ringkämpfer aufspielen müssen".

Paulo post v. 228 aversus loquitur secum deliberans Demeas: μαίνεται (scilicet Νικήρατος) et statim indignabundus eum interrogat ἀλλὰ τυπτήσεις με; Niceratus eum ferit superatque et domum intraturus est Demeae: τὴν γυναῖκ' ἀποκτενῶ εἰσιών. Tum Demeas secum aversus deliberat: τί γὰρ ποήσω; τοῦτο μοχθηρὸν πάνυ*) constituit οὐκ ἐάσω consiliumque efficit denuo adversario se opponens: ποῖ σύ; μένε δή.

Etiam huius igitur scaenae aversiloquia — versus 225 interpretationem priore loco datam praeferre velim, cum et postea secum consideret Demeas — soliloquia sunt homerica. Simillima sunt, quod ad loquentem attinet, aversiloquia Samiae inter se; neque enim — v. v. 65 sqq. exceptis, quos seorsum tractare malim — alia invenire potui. Sed etiam quod ad alteros non audientes attinet, haud imparia sunt: Is, qui modo aversus loquitur secum, statim rursus alterum illum alloquitur, a quo aversus locutus est, vel modo cum illo locutus rursus aversus secum loquitur. Non sine iure dici potest hac re offensionem, quam per se habere aversiloquium videtur, non leniri, sed immo etiam augeri, eaque de causa poetam minore arte haec aversiloquia composuisse quam cetera illa, in quibus species veritatis servatur, concedendum est; unde porro concludi potest, cum in Periciromene et Epitrepontibus talia non inveniantur maiore arte in his poetam usum esse quam in Samia, quam — aliis scilicet de causis — vetustiorem esse fabulam constat. Atque iamiam restat, ut de loco Samiae agam, quem supra tetigi, versus dico 65 sqq. Hac in scaena soliloquium habet, ut videtur, Demeas, v. 65 conspicit Parmenonem ἐκ τῆς ἀγορᾶς εἰσιόντα et de eo verba secum, ut videtur, facit: ἀλλ' εἰς καλὸν γὰρ τοῦτον εἰσιόνθ' ὁρῶ | τὸν Παρμένοντ' ἐκ τῆς ἀγορᾶς·... Quodsi putamus eo ipso tempore, quo haec verba fiunt, Parmenonem iam adesse in scaena, aliqua ex parte aversiloquium nominare possumus verba illa Demeae. — „Soliloquium habet, ut videtur“ dixi, re vera enim non secum loquitur: Demeas, quasi secum verba faciat, explicat quid suspicetur, sed subito v. 54 legimus: οὐ λέγω δ' ἄνδρες πρὸς ὑμᾶς τοῦτ' ἐγώ, | οὐθ' ὑπονοῶ, τὸ πρᾶγμα δ' εἰς μέσον φέρω.. Quae verba ad spectatores dicta esse luce clarius est summoque iure Fridericus Leo explicat (p. 80) non dubium esse, quin haec spectatorum allocutio orta sit ex libertate illa, qua ipsis cum spectatoribus

*) Jensenius (p. 530) τί γὰρ ποήσω Nicerato tribuit, cum pro certo habeat post ποήσω signum exstitisse mutandae personae, ita ut verbis solis τοῦτο μοχθηρὸν πάλι[ν] secum deliberet Demeas.

agunt personae antiquae comoediae et praecipue τρυγῳδός ille vel βωμολόχος qui vocatur; optimeque vir ille doctissimus demonstrat primordia hoc loco inveniri soliloquii comoediae novae. Cuius orationis Demeae finem faciunt illa verba, quae aliqua ex parte aversiloquium nominare possumus, et cum ea, quae antecedunt, ad ipsos spectatores dicta sint, etiam illa eodem modo ad spectatores dicta esse vix negari potest. Itaque hoc loco mihi quidem primordia non solum soliloquii, sed etiam vestigia aversiloquii originis exstare videntur et — ut soliloquium — ita aversiloquium quoque novae vel mediae exortum esse ex libertate illa trygoedi ipsis cum spectatoribus loquendi. Per se sane haec coniectura non ita certa est, videndumque erit, nonne eam firmare possimus antiquam comoediam perscrutantes.

Praeterea nihil amplius de Samia mihi est dicendum, nisi illud ἄνδρες inveniri aliis quoque locis (v. 114 et v. 338). Etiam in Epitrepontum v. 466 legimus idem ἄνδρες, sed hoc loco uno illo vocabulo spectatores appellantur et si ἄνδρες praetermittimus, verum soliloquium habemus, cum in Samiae locis et praeter illud unum vocabulum sentiamus spectatores appellari.

In Heroe, in Fabula incerta I., in Georgo aversiloquia non inveni, in Citharistae autem reliquiis certum aversiloquium exstat. V. 53 secum loquens prodit pater Moschionis cuiusdam rure rediens domum, quo ut veniret filius oravit; dum in aedibus interrogat, ubi sit Moschio, ille ipse advenit secum deliberans, utrum patrem exspectet an ei obviam eat. Dum haec considerat, patrem ex aedibus regredientem adspicit et in soliloquio pergens, sed aversus, considerationem illam quasi coronat consilio v. 71: οἶμαι μένειν δεῖ· sequente versu statim allocutionem fieri apparet ex patris (v. 74) ἐγὼ δὲ περὶ σοῦ. Quo loco ille quasi per se — una deliberatione — delabitur ex soliloquio in aversiloquium, species sane veritatis vix servatur. At fortasse aliquis aversiloquium dicat verba, quae Moschio facit v. v. 75 et 76 male servatis: οὐκ ἔλεγον εὐθὺς . . . ἀλλ' ἀνδρείστεον. At ex sequentibus verbis patris (τίνα λόγον ἀεὶ προς . . .) elucet eum haec verba audire, sed non percipere, ita ut non aversiloquium, sed simile aliquid habeamus.

Deinde rursus aversiloquia desunt fragmentis Colacis, Coneiazomenarum, Perinthiae, Phasmatiš; in fabula incerta II. denique invenimus aversiloquia.

Cuius fragmenti primi versus finis sunt, quoad coniectura colligi potest, scaenae auscultatoris: Leno quidam secundum

Koertium (praef. XXI) auscultat verba senis conquerentis de generi malignitate; huic soliloquio interloquia inserit aversus secum loquens. Duo aversiloquia nobis servata sunt, in quibus et soliloquium homericum exstare et species veritatis servata esse videntur. — Videntur scripsi, cum propterea quod quid antecesserit nescimus, nihil certi dicere possimus. — Priore enim loco deliberat aliqua ex parte leno (v. 5 .... τοῦτ᾽ ἐγὼ | προσέμενον· οὗτος ἐμπεσὼν διασκεδᾷ | τὸν ἔρωτα. τί δέ μοι τοῦτο: πάλιν οἰμωζέτω.), altero admiratur (v. 11 .... δώδεκα· | πέπυστ᾽ ἀκριβῶς οὑτοσὶ τὰ πράγματα.).

Quoniam aversiloquiis huius fabulae incertae enumeratis omnes, quae Alfredi Koerte editione praebentur, Menandri fabulas tractavi neque in fragmentis eius a Kockio collectis aversiloquia invenire potui, breviter astringere velim quae e Menandro lucrati simus. Exortum esse videtur aversiloquium novae comoediae ex libertate illa, qua cum ipsis spectatoribus agit bomolochus antiquae; qua re efficitur, ut in vetustioribus fabulis magis servata illa libertate species veritatis non semper servetur, sed violetur ea re, quod uno quasi tenore et apud se aversa et ad alterum praesentem loquitur eadem persona. Hanc licentiam Menander magis magisque coercuit ita, ut in Periciromene, quam recentissimam esse inter fabulas servatas puto, optime inveniamus speciem veritatis servatam. Quae observavimus haud male quadrant ad ea, quae Plutarchus (Arist. et Men. comp. 2.) de Menandri arte in dies crescente dixit: εἰ οὖν πρὸς τὰ πρῶτα τῶν Μενάνδρου δραμάτων τὰ μέσα καὶ τὰ τελευταῖα παραβάλοι τις, ἐξ αὐτῶν ἐπιγνώσεται, ὅσα ἔμελλεν, εἰ ἐπεβίω, καὶ τούτοις ἕτερα προσθήσειν.

Age vero mittamus Menandrum reliquaque novae vel mediae comoediae fragmenta inquiramus primaque ea, quae a Kockio collecta sunt. Quamquam eorum ingentem multitudinem ille praebet, tamen perpauca vel nulla fere in iis exstant aversiloquia, quod non mirum videtur consideranti raro inveniri locos, quibus omnino loquuntur duae personae. Atque perpauca illa aversiloquia non omni ex parte certa sunt, cum et semper fere num tertius intersit scaenae, cuius verba fragmento non servata sunt, nesciamus et totam scaenae naturam ignoremus plerumque. Satis probabile

mihi videtur in Antiphanis fg. 222 longo dialogo eri et coqui ab hoc aversiloquium: ἀπολεῖ με οὑτοσί .... inseri; fortasse etiam in fg. 169 verba ἠγάπησεν ἂν | τὸ ῥῆμα τοῦτο παραλαβὼν Δημοσθένης averse dicta sunt, sed hoc valde incertum; paulo certius aversiloquium agnoscitur in Alexidis fragmenti 149 v. 14, ubi inter coqui longam orationem collocutor secum dicit: εἰς τοὺς σοφιστὰς τὸν μάγειρον ἐγγράφω. Plane manifesta autem exempla habemus in eiusdem poetae fragmento 155, in Athenionis fragmenti 1 v. 27, in Euangeli fragmenti 1 v. 7. Quae aversiloquia ad facetias inserendas facta esse omnia luce clarius est. Frustra igitur fere Kockii collectionem inspeximus, sed in fragmentis comicorum incertorum, quae nobis in vetustis papyris et membranis servata sunt, aversiloquia admodum certa inveniuntur. Ut in fragmento illo a Grenfellio Huntioque edito (Hibeh Papyri I. p. 24 sqq.), quod Fridericus Leo denuo tractavit in Hermae volumine 41. (p. 629), aversiloquium mirantis atque exspectatione intenti habemus auscultatoris v. 15: Ὦ Ἡράκλεις, τί ποτ᾽ ἐστὶ τὸ γεγενημένον, alteri aliis rebus videntur occupati, allocutio fit v. 20. — Deinde in fragmentis Ghoranensibus (B. C. H. XXX. 103—149), de quibus Alfredus Koerte in Hermae volumine 43. p. 38 sqq. egit, aversiloquia exstant. V. 105 Niceratus quidam prodit secum loquens, tum v. 107 Phaedimus ex aedibus egrediens item secum loquitur; eum adspiciens aversus verba facit Niceratus 109: ἡμέτερος οὗτος φίλος et eodem modo Phaedimus loquitur aversus secum deliberans τίνα δεῖ τρόπον αὐτῷ προσελθεῖν, tum Niceratus alterum alloquitur, qui etiam post allocutionem pergit secum deliberare aversus v. 112: τί χρὴ νυνὶ ποιεῖν; | ἡ μὲν συνήθεια, ἡ φιλία, τὸ διὰ χρόνου | ... ἠγάπηκε cetera deperdita.

Latino sermone si scripta essent haec verba, haberemus initium scaenae Plautinae, qui poeta saepissime progredientes — alterum post alterum — primo secum, deinde altero conspecto aversos secum loquentes facit. Quam rem non ita excultam invenimus apud Menandrum, magisque verisimile videtur hanc rationem consuetudinemque scaenae incipiendae Plautum et Terentium, qui interdum ea utitur, non ex Menandro usurpasse, sed e comoedia posteriore. Primordia sane huius rationis et in Menandri fabulis exstant (cf. Epitrep. 202—225, ubi neque Onesimus Abrotonum neque haec illum aspexit), sed numquam ambo aversi loquuntur, postquam alterum viderunt. Neque negari potest rationem illam, qua Plautus praecipue utitur, maxime artificiosam esse et vehementissime cum rerum natura

pugnare. Id quod Menandri arte per se quasi fit, apud Plautum degeneravit in malam consuetudinem, quae nobis ascita atque molesta videtur. Potuit sane fieri, ut Plautus sua sponte pessimam hanc consuetudinem excoleret. Sed negari non potest huius rationis initia iam apud Graecos inveniri, in posteriore sane nova comoedia i. e. hoc in fragmento Ghoranensi. — Sed quoniam Plauti rationem tam graviter reprehendi, afferendum est mihi huius consuetudinis exemplum initiumque describam actus quarti Epidici. Actum tertium soliloquio finivit Periphanes, actus quartus incipit a soliloquio Philippae v. 526, quod interrumpitur aversiloquiis Periphanis in versibus 533, 535, 537 sq.; tum eum conspicit mulier et aversa secum loquitur v. 539: sequuntur quina aversiloquia et Periphanis et Philippae versuque demum 547 senex mulierem alloquitur. Hanc scaenam quodammodo cognatam esse Ghoranensi apparet, sed multo longius Romani poetae licentia processit quam Graeci.

Quoniam praeter ea, quae attuli, in novae mediaeque fabulis et fragmentis aversiloquia invenire non potui, transeundum mihi est ad antiquam comoediam i. e. ad Aristophanem, cuius fabularum primam tractare mihi liceat Pacem. Statim initio (v. 9 sq.*) servus alter spectatores ipsos alloquitur: ἄνδρες κοπρολόγοι, προσλάβεσθε πρὸς θεῶν, | εἰ μή με βούλεσθ᾽ ἀποπνιγέντα περιιδεῖν! fortasse non solum aedilium ministros (cf. Aristot. πολ. Ἀθ. 50, 2) sed etiam cives invocans, qui δῆμον Κόπρον incolunt; et saepius deinde spectatores appellantur v. v. 13 sq., 20 sqq., 43 sq., sed omnia haec verba ita fiunt ad spectatores, ut etiam servus alter, qui usque ad v. 49 in scaena versatur, ea audiat. Prorsus aliter res se habet in scaena illa, quam agunt Πόλεμος et Κυδοιμός famulus v. 255 sqq., quorum diverbium auscultat Trygaeus in extremam scaenam regressus. Et — ut est mos auscultatorum — aversum

*) Editione utor — ut omnino in posterum —, quam curavit J. J van Leeuwen.

eum loqui vel potius ita, ut alteri eum non audiant, per se intelligitur, sed non apud se haec verba facit, sed ad spectatores, ut apparet ex v. v. 244 (ἄνδρες, ἡμῖν), 263 sq. (ἄγε δὴ τί δρῶμεν, ὦ πονήρ' ἀνθρώπια: ὁρᾶτε . . .), 276 sqq. (ὦνδρες, τί πεισόμεσθα), 286 (θαρρεῖτ', ὦ βροτοί).

Hac in scaena auscultatoris, quae sola ampla et — quod multo maioris est momenti — perfecta atque adulta nobis servata est comoediae antiquae, auscultator non apud se loquitur, sed ad spectatores. Nonne hac re optime firmatur coniectura mea, quam statui de novae aversiloquii origine? Re vera aversiloquium novae exortum est ex illa antiquae libertate, qua trygoedus ipsos ad spectatores loquitur. Quin etiam aversiloquio illi novae videmus respondere aversiloquium quoddam antiquae. — At hoc non idem aversiloquium est, dixerit quispiam, quod initio disputationis definivisti. Concedo: novam tantum respiciens aversiloquium nominavi verba aversi apud se loquentis et loco illo Terentiano apud se non ad spectatores loqui persuasum habeo parasitum. Sed si ipsum vocabulum inspicimus „aversiloquium", nonne ei secundum compositionem hic amplior quasi sensus inesse potest: Aversiloquium sunt verba omnino aversi loquentis vel ad se vel ad spectatores? Ampliore hoc sensu utar vocabulo in posterum. — Sed redeamus ad ipsam scaenam Pacis: Guilelmus Süss commentario, quem inscripsit: „Zur Komposition der altattischen Komödie" (Mus. Rhen. LXIII. 18 sqq.) bene demonstrat Trygaeum hac in fabula ipsius βωμολόχου vel τρυγῳδοῦ partes agere; qua de causa equidem putaverim omnia illa verba, quae hac in scaena facit, ad spectatores fieri, quamquam per se nonnulla in iis inveniuntur, quae apud se loqui potest Trygaeus quaeque, si non antiqua in fabula legeremus, aversiloquia novae comoediae putaremus. Invenimus enim aversiloquium perterriti in v. v. 238 sqq., gaudentis v. 271; habemus aversiloquia solius ioci causa inserta v. 248 sqq. et 257 sq.*); quae omnia per se simillima sunt aversiloquiorum novae.

Hac ex re equidem colligere velim adultum aversiloquium antiquae rursus inveniri in nova atque ita percultum, ut paulatim deficiente trygoedi illa libertate apud se loquatur is, qui aversus verba facit. Quin etiam in antiqua iam huius usus vestigia esse existimo ea aversiloquia, in quibus soliloquium homericum habet is, qui aversus loquitur, et equidem talia re vera

*) Secundum Henricum de Herwerden distribuo versus.

apud se loqui eum et in antiqua putaverim, quamquam hoc non confidenter affirmare possum propter illam libertatem antiquae. — Altera igitur pars dispositionis supra (pagina 5) prolatae, quae ad ipsum loquentem spectat, et in antiqua tractanda erit. Omnibus sane locis, quibus bomolochus ipse aversus loquitur, etiam ea, quae per se soliloquia homerica nominanda sunt, ad spectatores fieri posse (vel si ita vis fieri debere) concedendum est. Altera autem pars, quae ad collocutores non audientes pertinet, plane neglegi potest, cum eadem illa libertate, qua actionem interrumpit poeta spectatores alloquendo, supervacaneum fiat speciem illam veritatis servare, et ubicumque servatur, casu potius quam poetae arte hoc fieri videatur. Sed aliud aliquid nobis antiquam tractantibus neglegendum non est. Saepius nobis occurrunt bomolochi verba, quae per se pro aversiloquiis haberemus, sed cum ipsae illae scaenae, in quibus ille loquitur, satis libere et laxe ut ita dicam compositae sint, facile fieri potest, ut is, cuius verba comice imitatur trygoedus vel in ridiculum detrahit, iocos quamquam audit, tamen silentio praetereat. Quo fit, ut interloquia potius habeamus quam aversiloquia. Ut in scaena Pacis ea, quae sequitur chori parodum. Verba Hermae i. a v. 433*) deos re vera invocantis, ut salutem pacemque dent, Trygaeus i. e. bomolochus suo ridiculo modo complet. Quae verba, quamquam ad spectatores dicta esse possunt, non sunt aversiloquia, sed interloquia, quae Hermes audit, sed non repellit. In his v. 439 sq. per se aversiloquium putaremus, sed ex totius loci natura et e v. 454 apparet Hermam eos audire. Hoc loco facile diiudicare possumus interloquium exstare, non aversiloquium; sed non desunt loci, in quibus res dubia sit.

Primo loco inter Aristophanis comoedias Pacem tractavi, quia nulla scaena coniecturam meam de aversiloquii origine propositam melius probat quam Trygaei Polemi verba auscultantis. Nunc ordinem historicum secutus agam de Acharnensibus: prima aversiloquia invenimus in scaenis contionis — aversiloquium, quod si vis v. 60 exstat, omitto, cum et satis incertum et nullius fere momenti sit. — Quibus in scaenis, ut per totam fabulam, Dicaeopolidem partes bomolochi agere optime demonstrat Süss; omnia igitur faceta aversiloquia ad spectatores dicuntur uno fortasse v. 64 excepto,

*) Süssium sequor in versibus distribuendis, qui summo iure dicit Leeuwenii distributionem ratione carere.

cum valde mirans secum loqui videatur hoc loco Dicaeopolis: ὦ Ἐκβάτανα τοῦ σχήματος — soliloquium quasi homericum haec verba sunt. Aversiloquia illa faceta exstant in v. v. 67, 71 sq., 75 sq., 79, 83 sq. 86 sq., 90, 92 sq., 94 sq. Quod attinet ad v. 101, non video, cur his verbis respondere non possit Dicaeopolis praeconi interroganti: ξυνίεθ' ὃ λέγει; Deinde Theori relationem aversiloquiis interrumpit ad spectatores dictis, quae merae sunt facetiae; sunt versus 135, 137, 139 sq., 151 sq., 154, 156, quem ad versum rectissime notat van Leeuwen: Ὀδομάντων στρατός] non Dicaeopolidi respondens hoc dicit Theorus sed cunctis civibus — i. e. contioni — novos hos socios indicans; 157 sq., 161. Paulo post ἡ ἐκκλησία λύεται Dicaeopolide ipso auctore, qui solus restat in scaena.

Proximum autem aversiloquium invenitur v. 370—376: Antea ad chorum locutus timore plenus secum verba facere videtur Dicaeopolis, soliloquium habemus homericum; sed cum inde a v. 377 a bomolocho, qui iam actione plane neglecta poetae ipsius personam induit, spectatores appellentur, et haec quae antecedunt verba ad spectatores fieri verisimile est. Inde a v. 383 autem ad chorum rursus se convertit, quae res nihil habet offensionis in antiquae fabula.

Deinde aversiloquia exstare videntur in scaena, quam cum Euripide agit; sunt v. v. 461 et 457, sed verisimilius videtur Dicaeopolidem obliquis quasi oculis spectatores intuentem haec verba facere ad Euripidem ipsum, qui ea ironice dicta esse non sentit; quomodo effectus comicus aliquanto augetur. Versum autem 450 sq. equidem apud se eum loqui puto, quamquam est βωμολόχος ipse, cum merum soliloquium homericum sint haec verba ad exemplum clarissimi soliloquii Medeae ficta. Idemque mihi dicendum est de versibus 480—489. Ad spectatores autem, sed non aversus, cum chorus eum audiat, longam illam orationem habet pro Lacedaemoniis.

In sequentibus scaenis fabulae nihil invenitur, quod aversiloquium nominari possit, praeter v. 1059 sq.; quae verba fortasse aversus ad spectatores dicit Dicaeopolis aliqua ex parte virum honestum et amabilem se praestans, sed fieri potest, ut ad chorum loquatur minime respiciens voluntatem novae nuptae. Acharnensibus sic pertractatis notandum videtur omnia aversiloquia ipsius bomolochi esse verba.

Nunc ad Equites versi aversiloquium habemus v. 111 sq. Servus alter, qui vocari solet Nicias, a

„Demosthene“ iussus Paphlagoni dormienti oracula eripere timore captus, quamquam obtemperat, aversus secum dicit: ἀτὰρ τοῦ δαίμονος | δέδοιχ᾽ ὅπως μὴ τεύξομαι κακοδαίμονος. Perbene quadrat haec loci interpretatio ad mores timidi Niciae, qui Demostheni obloqui non ausus tamen metu plenus est. Sed haec verba, cum etiam faceta esse possint, — quod annominatione illa δαίμονος — κακοδαίμονος verisimile videtur — et ad spectatores fieri possunt. Aversiloquium autem utique certum est.

Deinde ad v. 466 sqq. in Leeuwenii editione notam invenimus: „ad spectatores“. Quod fieri posse nemo negarit; sed aversus hoc loco non loquitur isiciarius — ut van Leeuwen vertit Aristophanis illud ἀλλαντοπώλης — cum Demosthenes ea verba audiat. Eandem notam rursus habemus ad v. 706, sed nullo iure eam ponit editor, nam cur fieri non potest, ut ad ipsum adversarium ea dicat isiciarius ad iram eius augendam? Et versum 707 equidem putaverim ad chorum loqui isicarium et Paphlagonem eum audire. Tribus igitur his locis, quamquam van Leeuwen adnotat „ad spectatores“, tamen aversiloquium non exstat.

Certum denique aversiloquium invenitur in versibus 752—755, ubi sollicitudine captus aversus secum loquitur isiciarius. Eademque dicenda sunt de v. 1193 sq.: primo secum aversus lamentatur, quod sibi non sint leporinae, deinde statim considerat, quomodo adversarium fallere possit. — Paulo antea autem aversiloquium certum exstat Demi v. 1162 sq.; fortasse secum haec verba loquitur senex, sed verisimilius videtur eum his verbis ipsis spectatoribus significare velle se litigantes ludibrio habere.

Perpauca igitur habemus in Equitibus aversiloquia. Pauciora etiam in Nubibus.

Qua in fabula bomolochi partes obtinet Strepsiades senex eiusque primum aversiloquium invenitur in v. 261 sq., quae verba merae sunt nugae ideoque ad spectatores dicta, ita ut falsa videatur nota Leeuwenii: „secum“. Hanc notam rursus ponit ad v. 467, ubi equidem non video, cur ea non dicere possit Socrates ad chori coryphaeum clam Strepsiade eodem modo, quo princeps ille cum ipso Socrate loquitur v. 476 sqq., idemque putare velim de v. 492, cuius loci simillimum habemus v. 731.

Certum autem aversiloquium — neque enim chori princeps hac in scaena colloquii particeps est — exstat v. 876; sunt verba secum, ut mihi videtur, reputantis Socratis. In versu 873 sqq. dicit iuvenem tam exilis ingenii vix discere posse artes

sophistarum difficillimas vel oratorum, sed secum computans se lucri aliquantum posse percipere ex hoc discipulo, ut antea ex Hyperbolo, mutat consilium. Quam interpretationem loci si sequimur, ipsius aversi loquentis Socratis avaritia manifesta fit, quae alio loco adhuc non visa est, aversiloquio igitur utitur poeta ad mores depingendos. Sed concedo satis artificiosam hanc interpretationem dici posse magisque poetam in animo habere Hyperbolum illudere, ita ut haec verba aversi loquentis ioci causa ideoque ad spectatores fieri putandum sit.

Ultimum deinde aversiloquium habemus in v. 1112. Priore in versu Socrates patri promisit mox filium fieri bonum sophistam, tum Phidippides iratus patri, qui se in scholam Socratis mittat, minitatur aversus ὠχρὸν μὲν οὖν, οἶμαί γε, καὶ κακοδαίμονα vel ad se vel ad spectatores, quod equidem praeferre velim, cum comico modo iratus sit et minetur adulescens.

In Vespis autem vix aversiloquia certa inveniuntur. In certamine Bdelycleonis et Philocleonis (v. 548 sqq.) ter patrem interrumpit Bdelycleon, notam referens in pugillares (v. v. 559, 576 sq., 588 sq.). Sed interloquia haec verba putem an aversiloquia, haud certe scio. Si aversiloquia putamus, equidem ea apud se dicere Bdelycleonem existimem, cum per se fiat, ut is, qui notas refert, et apud se, dum scribit, loquatur. Sed fieri potest, ut et pater ea verba audiat silentioque praetereat et, si pater ea non audit, ad chorum loquatur filius. Consulto quod quartum interponit interloquium v. 603 nihil in pugillares referens, seorsum tracto; minitantis enim sunt verba et praecipue ioci causa prolata, ideoque si aversiloquium ea putamus, ad spectatores dicta. Aversiloquium sane ne hoc quidem loco certum, sed paulo verisimilius quam interloquium est. Etiam v. 643 equidem aversiloquium ponam, vel secum vel ad spectatores loquentis Bdelycleonis, quae verba ad spectatores dici ea re fortasse magis placet, quod comico modo minatur patri. Prorsus aliter res se habet v. 826 sq., cum re vera Bdelycleon aversus secum deliberet hoc loco, quid faciat. Incertum rursus aversiloquium exstat v. v. 799 sqq. Nam etiamsi scholiastam sequimur, qui adnotat ταῦτα πρὸς ἑαυτόν, neque putamus ea verba ad chorum fieri, tamen hoc soliloquium cur audire non debeat chorus nescio. Versu denique 992 satis certum habemus aversiloquium triumphantis Bdelycleonis vel apud se vel ad spectatores, nam chorus huic scaenae vix se immiscet. Duo igitur aversiloquia satis certa tota in hac fabula invenimus.

Iam vero ad Aves transeamus, cuius fabulae prima aversiloquia exstare videntur v. 598 et 602; sunt verba Euelpidis solum ioci causa inserta ideoque ad spectatores dicta. Sed fieri etiam potest, ut haec bomolochi — i. e. Euelpidis — verba a Pithetaero audiantur et neglegantur, ita ut interloquia sint, non aversiloquia. Inde a v. 838 Euelpidis bomolochi partes suscipit quasi Pithetaerus, cuius aversiloquia, cum sint faceta, ad spectatores dici per se intelligitur; sunt versus 1340 sq., 1375, 1412 sq., 1416 sq. Omnia igitur Avium aversiloquia sunt bomolochi verba.

Ad Lysistratae versum 368 vix recte Leeuwenius adnotare „secum“ videtur, cum appareat haec verba loqui coryphaeum ad chorum atque ita ut mulieres audiant, nam ei quasi respondens dux mulierum socias iubet αἰρώμεθ᾽ ἡμεῖς θοὔδατος τὴν κάλπιν . . . Primum igitur aversiloquium invenimus in v. 1136 demum et huius simillimum v. 1148, ubi ad spectatores facetias vel potius obscoenitates dicunt aversi et Atheniensis civis et Lacedaemonius. Ultimum autem aversiloquium, quod exstat v. 1218, soliloquium esse videtur homericum: Legatus primo plebi minatus se face eos depulsurum esse deinde secum reputans aversus rustici esse hoc facere — φορτικὸν τὸ πρᾶγμ᾽ ἄγαν constituit: οὐκ ἂν ποιήσαιμ᾽. Quae verba secum eum facere putare velim, quamquam possunt etiam ad spectatores conversa esse.

Thesmophoriazusarum post versum 37 Euripides et Mnesilochus qui vocatur extrema e scaena auscultantur ministrum Agathonis et interloquia inserit eius cantico Mnesilochus, qui huius fabulae bomolochus est (v. 45 et v. 48). Quae verba non audiuntur a servo, audiuntur ab Euripide, ita ut non sint aversiloquia, quamquam simillima aversiloquii. Primum verum aversiloquium exstat in v. 72, qui sine dubio ad spectatores fit. Maioris sunt momenti interloquia, quae ille orationi Agathonis inserit aversus v. 200 sq. et 206 sq.; etiam haec verba ad spectatores fiunt, cum merae sint nugae. Non eadem res est in scaena illa, qua expers consilii, desperata salute, timore perterritus aversus secum verba facit Mnesilochus; sunt v. v. 603, 604, 609; quae omnia soliloquia sunt homerica et quamquam sunt ipsius bomolochi verba, tamen ea apud se illum facere elucet. Ad spectatores rursus fiunt verba aversi loquentis eiusdem, quae legimus v. 936 sq. ἥνπερ φιλεῖς | κοιλὴν προτείνειν, ἀργύριον

ἥν τις διδῷ. Nullum praeterea invenitur aversiloquium in hac fabula — nam verba ea, quae facit Euripides v. 1202, et Teredoni psaltriae et choro audire licet —; sunt igitur omnia aversiloquia bomolochi.

In Ranarum prima parte bomolochi vel servi nugatoris partes agit Xanthias ideoque omnia quae ille aversus facit verba ad spectatores fieri putandum est; sunt v. v. 33 sq. (nisi forte putas ea ipsum ad herum loqui servum procacissimum), 51 praecipueque illud περὶ ἐμοῦ δ' οὐδεὶς λόγος v. 87 sq., quod bis iteratur (v. 107 et 115); quae omnia solius ioci causa fiunt. Deinde fortasse hic afferendi sunt v. 159 et 438 sq. Praeterea aversiloquia ad spectatores dicta equidem putaverim verba triumphantis et alterius malo gaudentis et Xanthiae (v. 552) κακὸν ἥκει τινί et (v. 554) δώσει τις δίκην et Dionysi (v. 607) ἥκει τῳ κακόν. Nam quamquam ex ea re, quod iisdem fere verbis utitur Dionysus quibus antea Xanthias, concludi potest illum ea audivisse, tamen equidem puto multo maioris effectus comici esse hanc iterationem, si fit poeta auctore ut ita dicam et ex poeta, non ex loquentis animo. Satis probatum hac consideratione existimo aversiloquium, accedit quod etiam scholiasta et ad v. 554 ἠρέμα λαλεῖ ὁ Ξανθίας et ad v. 606 ἡσυχῇ δὲ ταῦτα λέγει adnotat. Per se si falsa esset mea interpretatio, sane his scholiis non recta fieret, sed cum per se, ut equidem puto, minime pugnet cum loci comico colore, aliquanto firmatur notis scholiastae. Post versum 813 Xanthias scaenam relinquit, bomolochi partes suscipit Dionysus ipse: interlocutor comicus, ut Süss dicit, facetias inserit certamini Aeschyli et Euripidis. In quibus versus 944, 947, 1047 sq., 1067 sq., 1196 per se fortasse aversiloquia putaremus ad spectatores sane dicta. Sed his locis multo plures alii opponi possunt eiusdem scaenae, quos non aversiloquia, sed interloquia esse luce clarius est, quae plerumque cum propter liberam et laxam scaenae compositionem tum propterea, quod sunt stultiora quam ut iis respondeatur, a certantibus poetis negleguntur. Qua re equidem ut et cetera illa habeam interloquia, non aversiloquia, commoveor. Etiam versum 1399, ad quem van Leeuwen adnotat: „secum perpendens," equidem aversiloquium putare nolim, cum eius verba audiat Dionysus et ex verbo ille φέρε concludi possit Euripidem non secum, sed ad

Dionysum verba facere. Nullum igitur tota in fabula exstat aversiloquium, quod non dicat aut Xanthias aut Dionysus.

In Ecclesiazusis Blepyros partes fere agit bomolochi inquirendumque videtur, nonne aversiloquia exstent in iis, quae loquitur. Inde a versu 404 bomolochias i. e. facetias, qualibus bomolochus utitur, inserit relationi Chremetis v. 404 sqq., 422 sqq., 445, 451. Sed multo verisimilius est haec verba interloquia esse, quae Chremes neglegit, quam aversiloquia. Primum igitur aversiloquium invenitur demum v. 942 sqq. V. 938 adulescens prodit, quem van Leeuwen nominat „Epigenes", secum cantans, quem adspiciens anus aversa — comico modo ei minitans — ad spectatores ut videtur cantat, iuvenis autem secum cantare pergit; deinde puella e sua fenestra prospiciens sentit anum a fenestra sua se recepisse et exsultans vel secum vel ad spectatores loquitur v. 949 sq., tum iuvene conspecto aut aversa secum aut ad eum ipsum haec verba facit: ἀλλ' οὑτοσὶ γὰρ αὐτὸς οὗ ἐμεμνήμεθα. — Unum tantummodo certum aversiloquium habemus in v. 942.

Iamiam restat ut Plutum tractem, ultimam fabularum Aristophanearum. Cuius in parte prima servi nugatoris partes agit Carion, qui verba ad ipsos spectatores facit secundum Leeuwenium v. v. 99, 106, 118. Sed vix diiudicari potest interloquia an aversiloquia habeamus his locis. Tamen v. 99 interloquium rectius mihi videtur, praesertim cum insolentiam servi respiciam. — Minime autem dubia mihi res est in v. v. 362 sq. 365, 367, ubi ter adnotat van Leeuwen „secum", cum respondeat omnibus his tribus locis Chremylus Blepsidemo; nam — ut omittam v. 364 ὑγιαίνω referri ad illud ὑγιὲς Blepsidemi, quo conferas quaeso ea, quae dixi de Ranarum versibus 552 et 607 — ex verbis, quae facit Chremylos v. 369 σὺ μὲν οἶδ' ὃ κρώζεις, luce clarius apparet et audire et intellegere Chremylum verba Blepsidemi. Proximum autem aversiloquium tum demum invenitur, cum Carion rursus scaenae interest v. 645; ubi heram irridens aversus ad spectatores loquitur: φιλεῖς δὲ δρῶσ' αὐτὸ σφόδρα. Quamquam fieri potest, ut servus insolentissimus ipsam ad heram haec verba facere audeat. Deinde paulo post fortasse dicat quispiam aversiloquium irridentis mulieris versus 657 sq. et mirantis versum 726;

sed utroque loco verisimile videtur verba ea audire et neglegere Carionem, ita ut interloquia sint haec verba. Post v. 958 Carion relinquit scaenam partesque bomolochi potius suscipit Chremylus, qui ludibrio habet anum de iuvene infideli amatore querentem, aversiloquiis, ut mihi quidem videtur, dictis ad spectatores; sunt versus 1009., 1012., 1017, 1019, 1021, 1035, 1037; quos omnes inter aversiloquia pono, nam minime mihi dubium videtur, quin anus ipsa, si appellaretur his iocis, paulatim sentiret se ludibrio haberi. Etiam postea aversus loquitur ille ad spectatores v. 1052 sqq. et fortasse v. 1070, quem versum et iuvenem audire posse concedendum est, ita ut clam anu haec verba fiant. Eademque dicenda sunt de verbis, quae ille ipse iuvenis facit v. 1050, aut aversiloquium sunt ad spectatores dictum aut clam Chremete fiunt. Denique Carionis rursus regressi in scaenam invenitur aversiloquium v. 1110, quo clam Herma spectatoribus deos ingratos esse ostentans dicit ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι τούτων τέμνεται! „Et talia nuntianti consecratur lingua!“ Satis multa igitur in Pluto inveniuntur aversiloquia, quae omnia fere sunt bomolochi.

Pertractatis Aristophanis fabularum aversiloquiis, cum in eius fragmentis aversiloquia invenire non potuerim, iamiam breviter comprehendendum est quae ex iis colligi possint. Sed antea liceat mihi perpauca verba facere de ceteris antiquae fragmentis, quae in editione Kockii praesto sunt. In novae tractandis illis fragmentis ostendi satis esse difficile certa aversiloquia reperire, in antiquae autem reliquiis tractandis accedit, quod per se — vel in continuis fabulis — haud facile diiudicari potest aversiloquium ab interloquio. Quo fit, ut unum atque solum aversiloquium invenerim versum 4 sq. fragmenti 3 Cephisodori: verba sunt servi insolentis ad spectatores dicta. — Comoediae autem doricae in fragmentis, quae Kaibel collegit, aversiloquium omnino non exstat.

Sed nunc ad Aristophanem redeamus, summamque statuamus huius dissertationis. Omnia fere quae apud illum inveniuntur aversiloquia verba ipsius sunt bomolochi. Nonne hac re id, quod in Samia tractanda Menandri conieci, satis firmatum atque demonstratum videtur? Quin etiam ultra progredi licet. Nam non solum ex illa bomolochi libertate antiquae fluxit aversiloquium novae, sed etiam vidimus huic novae aversiloquio respondere aversiloquium satis excultum antiquae. Quod antiquae aversiloquium quamquam artissime cohaeret cum ipsius bomolochi persona atque eius libertate ipsis cum spectatoribus agendi, tamen iam non omnia aversiloquia ad spectatores fiunt; faceta sane illa ad spectatores dicuntur, sed „soliloquium homericum", quod nominavi, etiam in antiqua saepius secum facit is, qui aversus loquitur. Quod aversiloquium susceptum est a nova atque ita excultum, ut paulatim deficiente libertate bomolochi etiam faceta illa ad se, non ad spectatores loquatur is, qui aversus verba facit.

Sed ex ea re, quod antiquae facetum aversiloquium ad spectatores fieri puto, nonne concludere debebam, et novae quoque facetum ad spectatores fieri? Sane multi doctissimi viri hanc sententiam sequuntur et non nego de hac re posse dubitari. At mihi probabilius videtur faceta illa aversiloquia non ad spectatores fieri in nova et fortasse is, qui sine ira et studio ad hanc quaestionem i. e. ad novae aversiloquium adeat, mecum faciet. Ad fulciendam autem meam opinionem afferre possum locos illos Donati, quibus spectatores respiciuntur. Sunt notae additae Andriae versui 498 et Hecyrae versui 540: „Hoc dicit, non ut Simo, sed ut spectator audiat" et „Hoc propter spectatorem dicitur, ut gestorum meminerit". Primo praecipue loco luce clarius est Donatum minime putare aversiloquium ad spectatores fieri, nam, si hoc putaret, sine dubio diceret „ad spectatores", eaque ipsa ex re, quod tam miro et artificioso modo hos locos describit, concludendum est eum dicere velle non ad spectatores dici verba illa, ad quae notae spectant.

Ut totius dissertationis summam faciam: Prima initia cepit aversiloquium ex libertate illa, qua ipsis cum spectatoribus agit bomolochus antiquae comoediae; qua cum

persona arte connexum est aversiloquium antiquae. Sed iam in antiqua duo eius genera discerni possunt: et id, quod ut „soliloquium homericum“ secum habet aversus ille, et id, quod ioci causa ad spectatores fit. Hoc ex antiquae comoediae aversiloquio natum est illud novae, sed libertate illa paulatim evanescente fit, ut omnino apud se loquatur histrio. Qua re simul efficitur, ut species illa veritatis poetae servanda sit, et quo rarius utitur poeta aversiloquiis, eo accuratius eam simulat, id quod summa arte fieri in Menandri recentioribus fabulas vidimus. Post eum iam apud Graecos abire incipit aversiloquium in malam consuetudinem, quam inauditum in modum augendo in latina comoedia taedio fere nos afficit Plautus. A Plauto pendent comici recentiores Hispani, Francogalli, Angli, Germani, inter quos Hispani — Calderonem dico Lopemque de Vega — vel Plauti licentiam longe egressi nullam fere scaenam non aversiloquiis referciunt. Sed hoc persequi non meum est.

Vita.

Otto Schaffner anno 1886 Francofurti ad Moenum natus sum patre Carolo, matre Carlotta e gente Kahles; fidei adscriptus sum evangelicae. Anno 1905 testimonium maturitatis in novo gymnasio Darmstadtensi adeptus quinquies senos menses Gissis operam dabam studiis philologicis; autumno anni 1907 Gottingam me contuli, sed iam vere sequenti Gissas ad studia perficienda redii. Duobus annis post examine probatus paedagogico seminario adscriptus sum novi gymnasii Darmstadtensis, cui adhuc attributus sum.

Docuerunt me viri doctissimi Gottingenses: Baumann, Weissenfels, G. Koerte, Schwartz, Leo, Gissenses: Groos, Siebeck, Behaghel, Sauer, Bethe, Wuensch, Immisch, A. Koerte. Inter quos praecipue Siebeck, Immisch, Koerte Gissensibus gratiam debeo, neque fieri potest, quin hoc quoque loco singulares gratias agam Alfredo Koerte magistro benevolentissimo, qui non solum huic opusculo, sed omnibus studiis meis adstitit adiutor benignissimus et hortator.

Vita

Natus sum [illegible] anno 1868 Francofurti ad Moenum patre Julio Carolo, matre Carolina e gente Andres. Fidei addictus sum evangelicae. Usque [illegible] in [illegible] gymnasio Darmstadiensi [illegible] studiis philologicis [illegible] Gottingam me contuli, sed [illegible] perficienda redii. Duobus annis post examine probatus paedagogico seminario adscriptus sum novi gymnasii Darmstadiensis cui nunc attributus sum.

Docuerunt me viri doctissimi Gottingenses: Baumann, Hilsenfeld, G. Koerte, Schwartz, Leo, Giessenses: Gross, Siebeck, Behaghel, Sauer, Bethe, Haupt, Jaenicke, A. Koerte. Inter quos praecipue Siebeck, Jaenicke, Koerte Giessensibus gratias debeo, neque fieri potest, quin hoc quoque loco singulares gratias agam Alfredo Koerte, magistro [illegible] qui non solum huic opusculo, sed omnibus studiis meis adiutor adfuit benignissimus et doctissimus.